



Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro tertio Decretalium, In Quo De Obligationibus, Beneficiis, Aliisque Juribus Clericorum saecularium, & Regularium agitur ...

Pirhing, Ehrenreich

Dilingae, 1676

Titulus II. De Cohabitatione Clericorum, & mulierum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98275](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98275)

non esset locus pœnæ; dummodo postea ante finem præfixi termini iterum intermitterent illa exercere, *Gl. hic V. Reassumpserint.*

Notandum quartò. Ad pœnas has incurrendas non sufficit una monitio peremptoria, sed requiritur trina per aliquot dierum intervalla distincta monitio, tum enim sine alia sententia iudicis condemnatoria, ipso facto, incurritur privatio privilegij Clericalis; *Gl. hic V. tertio & V. Eo ipso.*

Notandum Quintò. Si Clerici exercentes offi-

cia prohibita desistant ab illis, recuperant privilegium Clericale amissum, ut tradit *Gl. hic V. Quandoque.* Alij verò requirunt, ut cum tali Clerico privato omni privilegio Clericali, post emendationem, dispenser saltem Episcopus. *Franc. inc. an. n. 7. in fine h. t. Quamvis alij putent solum Papam cum tali dispensare posse; quia regulariter in pœnis Ecclesiasticis, quæ tanquam veræ pœnæ jure communi infliguntur, inferior Papâ dispensare non potest; Laym. l. 1. tr. 3. p. 3. c. 4. n. 2. & 3. & p. 3. c. 9. n. 1.*

TITVLVS II.

DE COHABITATIONE CLERICORVM, ET MVLIERV M.

Cum ad vitæ honestatem vel maximè conducatur, ut Clerici consortia & familiaritatem mulierum vitent, ideò Titulus iste priori subjungitur. Est autem cohabitatio, personarum in una domo sub eodem tecto commorantium conversatio, ut notat Dan. Venator in *Analyti Juris Pontificij h. t.*

§. I.

An & quatenus Clericis cum mulieribus cohabitare liceat, vel non?

ASSERTIO I. Permitti non debet, ut mulieres cum Clericis habitent: Exceptis illis personis, in quibus naturale scdus (hoc est, conjunctio sanguinis) nihil sævi criminis suspicari permittit, prout respondit Papa Innocent. III. in *e. a nobis 9. h. t.* Nam inter personas valde conjunctas non debet esse suspicio de incestuosa carnis copula; quippe à quâ ipsa natura abhorret, *c. pen. de præsump.* Cujusmodi sunt personæ conjunctæ in primo aut secundo gradu consanguinitatis, ut mater; avia, amita, matertera, soror, neptis, sive filia fratris; & sororis, *c. Cum omnibus; 27. junct. Gl. diff. 81.* Et habetur etiam in Nicæno Concilio *can. 3. relato; in e. Interdixit; 16. diff. 32.* Et refertur etiam à Siricio Papa in *e. Fœminas 31. cit. diff. 81.* Additur in *cit. c. Ab omnibus*, quod Clerici etiam habitare possint cum ancillis & pedissequis, quæ cum eis erant, antequam ordinarentur: item cum uxoribus filiorum, quas hi acceperunt jam ordinatis parentibus; sicut etiam cum filiabus & uxoribus servorum.

II. Assertio 2. spectato Jure communi Canonico; omnes fœminæ extraneæ prohibentur cohabitare cum Clericis, de quibus suspicio sceleris esse potest; Quin imò neque illas mulieres conjunctas, quas alioquin Canones permittunt cohabitare cum Clericis, Sacerdoti vel alij Clerico in sacris constituto licet secum retinere, si suspicio aut periculum criminis subsit: Quia instigante Diabolo, etiam in personis conjunctis scelus, seu incestum perpetratum fuisse, comperitur, & facilius

Tomus III.

cumpedissequis, seu ancillis, & socijs earum. Quod si tales personæ ope Presbyteri indigeant, ex degere poterunt in domo, in qua eis, quæ necessaria sunt, subministrantur, ita statutum est in *e. Inhibendum; 1. h. t.* Quod est desumptum ex Concilio Moguntinensi, in cujus fine additur, & prohibetur etiam; ne ulla fœmina ad Altare præsumat accedere, aut Sacerdoti ministrare, aut inter cancellos stare, vel federe.

III. Notandum 1. Hoc est discrimen inter mulieres extraneas & consanguineas, quod illæ ed ipsò suspectæ esse solent; quia juvenes sunt, ideòque earum cohabitatio prohibita est Clericis, jure communi Canonico; At verò mulieres consanguineæ seu valde conjunctæ, tametsi juvenes sint, non sunt suspectæ; ideòque cohabitare possunt Sacerdoti, ordinari ac per se loquendo, nisi per accidens adint tales circumstantiæ, & indicia, ut locus sit suspicioni mali seu sceletis, sive propter ipsasmet consanguineas, sive propter famulas, aut socias, quæ cum illis esse solent; ut notat *Gl. in e. Volumus; 24. cit. diff. 81. & Abb. hic n. 2.* Unde S. Augustinus, teste Possidonio; in vita ejus, nec cum sorore sua habitare voluit, dicens, quæ cum sorore meâ sunt, sorores meæ non sunt, prout refertur in *e. Legitur; 25. cit. diff.* Sicut etiam socius socij mei socius meus non est *l. nam socij 20. ff. pro Socio.*

Potro hoc c. 1. Non adversatur *c. pen. h. t.* In quo conceditur Clericis habitare cum mulieribus illis, in quas naturalis coniunctio non finit cadere malam suspensionem, prout ordinariè, & plerumque fieri solet: Si verò mulieres etiam conjunctissimæ suspectæ sint, prout factum fuit in casu, *cit. c. 1.* Tunc neque illis cohabitare licebit Clericis; *Barbos. in Collect. in cit. c. 1. n. 3.*

Notandum 2. quod dictum est mulieres valde conjunctas habitare posse cum Sacerdote, vel alio Clerico, id intelligi debet; si solus habitor: secus si

B

curat

cum alijs Sacerdotibus: præsertim si collegialiter vivant, quia tunc oriri potest suspicio mali, quoad alios Sacerdotes, quibus tales mulieres non sunt ita conjunctæ, *Abb. hic. n. 2.*

Notandum 3. Clerici beneficiarj possunt ex redditibus suis Ecclesiasticis superfluis subvenire consanguineis euentibus, ut colligitur ex hoc c. Imò juxta legem charitatis, his potius succurrere debent, quàm extraneis, c. *Non satis*; 14. *dis. 86.* Secus, si sint divites, & non egeant, *Gl. in cit. c. 1. V. subministrant h. t. & ibid. Abb. n. 4.*

IV. Assertio 3. Licet consanguineæ in primo & secundo gradu linear transversalis, licet possint habitare cum Sacerdotibus & Clericis, si non subsit suspicio sceleris seu incestus, ut constat ex c. *Cum omnibus*; 27. *dis. 81. & tradit. Gl. in cit. c. 1. V. Canonibus h. t.* Non tamen id extendi debet ad affines in primo & secundo gradu; quia in SS. Canonibus, in quibus prohibetur cohabitatio mulierum cum sacerdotibus, & Clericis, nominatim excipiuntur consanguineæ, non autem affines, constat enim majus esse for- dus, seu conjunctionem naturalem inter consanguineos, quippe per se immediatè conjunctos, quàm inter affines, qui per accidens tantum, sive mediantibus consanguineis junguntur. Excipiendæ sunt mulieres in primo gradu affinitatis junctæ, v. g. Noverca, Nurus, aut Vxor fratris defuncti: vel etiam in secundo gradu, si alter alteri reverentiam debeat, v. g. Sacerdos uxori patris sui defuncti, his enim permittendum videtur, ut cohabitent, si aliunde nulla adsit suspicio incontinentiæ; idque colligitur ex *cit. c. Interdixit in fine*, ubi dicitur, aut etiam eas idoneas personas, quæ fugiant suspiciones. Unde etiam inter tales personas, in veteri Lege prohibita fuit conjunctio carnalis, *Levit. c. 18.*

V. Assertio 4. Sed & Episcopus matri, aliisque mulieribus in primo & secundo gradu junctis (sicut alijs Sacerdotes & Clerici) licet cohabitare potest, intra eandem domum, cum ancillis, & pedisequis; sed in cubiculis seu conclavibus distinctis, ut docet *Abb. in cit. c. 1. n. 3. h. t.* Nam & olim in antiqua Ecclesia Episcopi, aliique Sacerdotes cum uxoribus suis tanquam sororibus; in eadem domo, sed in separatis cubiculorum mansionibus debebant, easque alebant, ut constat ex c. *Episcopus*; 6. *in c. Gl. V. Sequestrato*; 77. Quamvis honestius sit, & magis consultum, ut Episcopus, vel similis Prælatus secularis Matrem v. g. vel sororem, non intra domum, seu Palatium suum, sed in alia domo separata habeat, & alat; Idque maximè propter alios Clericos cum Episcopo commorantes. Et si contrarium teneat *Gl. in cit. c. Legitur*; 24. *V. Mea dis. 81.* ubi ait, Episcopum nullam mulierem, ne quidem Matrem, aut Sororem, secum habere posse, *juxta Auth. Episcopo. C. de Ep. & Cler.* Verùm Lex Civilis disponens de materia fori Ecclesiastici contra Jus Canonicum, nullam vim obligandi habere potest: nulla autem talis prohibitio facta Episcopis, vel Clericis reperitur in Jure Canonico, sed potius permissum esse colligitur, ex *cit. c. Interdixit, Abb. c. l.*

* *

§. II.

De pœnis, quæ Jure Canonico sunt statuta in Clericos conversantes cum fœminis suspectis, vel concubinariorum.

VI. Assertio 1. Si quis Sacerdotum, videlicet Presbyteri, Diaconus, vel Subdiaconus, (nam Nomine Sacerdotis latè sumpto comprehenduntur omnes Clerici in Sacro ordine constituti, quasi DEO sacrati, *Abb. hic n. 3.*) de crimine fornicationis cum fœmina suspectus, post primam, secundam, & tertiam admonitionem, inveniatur confabulari, vel conversari cum eadem, excommunicatur: Fœmina verò canonicè puniatur. Ita statuit Eugenius Papa in c. *Si quisquam*; 2. *h. t.*

Notandum primò. Etiam si super crimine fornicationis inquisitio non sit facta, nec probationes receptæ sint, ob solam tamen conversationem, seu notoriè scandalosam familiaritatem cum fœmina, excommunicari quis potest, si in ea post admonitionem contumaciter persistat, ut patet ex hoc c.

Notandum secundò. Si fœminæ delinquant cum Clerico, contra decorem Ordinis Ecclesiastici, ea subijcitur Jurisdictioni Judicis Ecclesiastici, quia committit quasi sacrilegium, *Abb. hic n. 4. & Gl. recepta in c. Eos qui*; 10. *dis. 32.* Accedit, quòd si plures simul delictum committant, omnes ab eodem Judice puniendi sunt, ne causæ continentia dividatur, *juxta l. Nulli*; 10. *C. de judic.* Ac proinde si Clericus cum Laico delinquat, uterque reus coram Judice Ecclesiastico velut digniore forum sortitur ratione delicti, ut docent plures apud Menoch. *de arbit. judic. casu* 371. *n. 12. & 13.* Qui tamè addit, id in praxi non observari, cum passim Judices sæculares contra Mulieres suspectas, & concubinas delinquentes cum Clericis procedere soleant, ut notat etiam *Laym lib. 4. tr. 9. c. 4. n. 10.* Porro mulier, quæ cum Clerico fornicata est, vel nimiam familiaritatem habet, olim in Monasterium detrudi debebat, *juxta c. Fraternalitatis*; 7. *dis. 34. Gl. fin. in cit. c. 2. V. Canonice*, ubi addit, quòd ipsa concubina, si hoc publicum sit, debeat excommunicari, *juxta c. Si concubina*; 55. *de Sentent. Excomm.*

VII. Assertio 2. Si Clerici in sacris Ordinibus constituti concubinas habeant, & ab Episcopo moniti, ut eas à se removeant, nec iterum recipiant, eas dimittere contempserint, à beneficijs Ecclesiasticis suspendi debent, donec congruè satisfecerint: Si verò suspensi adhuc illas retinere præsumpserint, ab iisdem beneficijs in perpetuum removeri debent, prout rescripsit Alexander III. in c. *Sicut*; 4. *h. t.* Nam crescente contumaciâ, crescere debet & pœna, *Gl. fin. hic*, & habetur in c. *ult. Ut lite non contestata* &c. & l. *Relegati*; 4. *ff. de pœnis*, ubi dicitur, quòd contumacia cumulat, id est, augeat pœnam.

Notandum primò. Clericus concubinariorum, etiam in sacris constitutus, non debet statim privari beneficio, sed in primis moneri, *juxta c. 2. h. t. deinde suspendi*, ac denique privari, ita tamen ut in op-

tio-

tionem iudicis sit, quam poenam velit prius imponere
thidorem, vel graviolem, consideratis facti circum-
stantiis, & loci consuetudine, quia Jura seu Cano-
nes de Clericorum concubinariorum, vel fornicatio-
rum poenis, quoad ordinem & modum eas infligen-
di, varie loquuntur, *Abb. hic. n. 2.* Quid autem
Jure novo Concilij Tridentini de hoc sit statutum, in-
fra dicitur.

Notandum 2. Ex eo, quod in hoc c. dicitur,
Clericos in Sacris constitutos, posse compelli ad di-
mittendas concubinas, non recte inferitur, Clericos
minoribus ordinibus initiatos non posse compelli,
sed ideo solum fit hic mentio de Clericis in Sacris,
quia hi severius puniuntur, quam alij, *Abb. hic. n. 1.*

VIII. Et hinc in c. si autem, c. h. r. praecipitur,
ut Clerici concubinarij, si in sacris Ordinibus
constituti, si post secundam, & tertiam communi-
tionem, concubinas non dimiserint, ita ut ulte-
riorem quoque monitionem non admittant videan-
tur, tum Ecclesiis, vel eorum portionibus (si ni-
mirum partem solum habeant in praebenda, *Gl.*
hic V. portionibus) priventur, postposita apella-
tione, & ab officio etiam suspendantur. Ex quo
patet, quod non solum in majoribus, de quibus lo-
quitur *cit. c. Sicut h. r.* sed etiam in minoribus Or-
dinibus constituti, si post monitionem non dimittant
concubinas, suspendi possint ab officio, & si se non
correxerint, omnino privati beneficiis, vel portio-
nibus eorum, *Gl. hic V. Spoliare.*

IX. Porro quod dictum est de Clerico concu-
binario suspendo ab Officio, id extenditur, ut si
Presbyter concubinariorum ab Episcopo suo suspen-
sus sit ab Officio, ideoque ad Papam appellet, petens,
ut absolvatur, & Literas Apostolicas testantes de
absolutione ei collata impetret, & Literae non
valent, si facti seriem non contingant, nempe cau-
sam, ob quam appellans, seu conquerens censuram
constitutus, siue suspensus, vel excommunicatus
erat, ut statuitur in c. Super eo, c. 5. Et ibi *Gl.* in casu h. r.
Ratio est, quia tales literae sunt impetratae, veritate
tacita, seu causam vera, quae si expressa fuisset, Papa eas
non concessisset, ideoque non valent, quippe subrep-
ticia, *Gl. hic V. Seriem; & Abb. n. 1.*

X. Assertio 3. Ordinarij locorum, seu E-
piscopi, non debent cogere Clericos in sacris Or-
dinibus constitutos, qui publice sunt concubina-
rij, ad jurandum, quod concubinas desererent ve-
lint, ne Diaboli instinctu, in idem fornicationis
peccatum relapsi, perjurij etiam reatum seu pecca-
tum incurrant; sed per sententiam suspensionis,
aut interdicti cogere debent Clericos, ut eas a se
amoveant, ita ut nulla amplius sinistra suspicio
mali de illis haberi possit. Quod si vero ad eas-
dem concubinas redire, vel alias reassumere praesumpserint, tum in aliquos eorum perpetua ex-
communicationis sententia (id est, donec resipi-
scant) proferenda erit, ut alij horum exemplo per-
territi, a talibus excessibus abstineant, prout sta-
uitur in c. Clericos, c. 3. h. r.

XI. Hinc colligitur primo, quod juramen-
tum non sit exigendum a peccatoribus, quorum re-
lapsus, ob fragilitatem carnis timeri potest, de absti-
nendo imposterum a certo peccato: idque propter
periculum perjurij, cujus materiam aut occasionem

Superior aut Judex subministrare non debet, c. Illa;
c. caus. 22. q. 5. ideoque imprudenter agunt illi Con-
fessarij, qui a poenitentibus recidivis exigunt jura-
mentum de hoc, vel illo peccato deinceps non pa-
trando, vel de tollenda occasione, ut docet *Suar. tract.*
2. de relig. l. 2. de juram. c. 14. n. 18. cujus ratio est;
quia cum juramentum sit remedium subsidiarium &
periculosum, ideo ad illud non est recurendum,
quando adsunt alia remedia aequae apta, ad finem
positum obtinendum, ut in casu hujus c. ubi ac-
talia remedia ad cogendos Clericos, ut concubinis
abstineant, nempe per suspensionis, vel depositionis,
vel denique etiam per excommunicationis senten-
tiam. Aliud est, si alia remedia aequivalentia non ad-
sint, tunc enim, non obstante periculo perjurij, po-
test Judex, vel publica persona ab aliquo juramentum
exigere, si ita sit necessarium, *Covarr. in c. Quamvis*
de pact. in 6. p. 1. §. 6. n. 2. Suar. c. l. n. 18. & alij com-
munitur. Et hinc in c. 2. qui Clerici vel Poenitentes, &c.

colligitur Clerici in sacris constituti abjurare uxores,
cum quibus de facto sacrilege matrimonium
contraxerunt, ut per juramentum constaret de ipso-
rum dissensu, quia eorum dissensus internus cognos-
ci non poterat aliter exterius, ea enim, quae pendent
ab alicujus animo, non possunt probari, nisi per ipsius
juramentum. Similiter in c. Ad abolendam, c. de ha-
retic. exigitur juramentum, quia nullum aliud reme-
dium apparet aequae opportunum, quam ut haeretici
vel qui de haeresi suspecti sunt, abiurent suum erro-
rem, eumque publice & solemniter detestentur,
Barb. in Collect. in c. Clericos, n. 3. h. r. Colligitur
secundo, licet in praedicto c. fiat mentio de Clericis
in sacris constitutis, qui publice concubinas habent,
tamen idem quoad hoc dicendum est de Clericis mi-
noribus ordinibus initiatis, & alijs, qui privatim re-
nunt concubinas, a quibus multo minus exigendum
est tale juramentum. Colligitur tertio, aequum &
conveniens est, ut Episcopus Clericos concubenarios
aliisque delinquentes non statim excommunicet,
sed prius leviores poenas & censuras eis infligat, ve-
luti suspensionis aut interdicti, ut patet ex hoc c. *Abb.*
ibid. n. 3. nisi sit crimen atrox, vel valde perniciosum.
Colligitur quarto, excommunicatio dicitur hic per-
petua, non quod perpetuo durare debeat, cum enim
sit poena medicinalis, non debet inferre mortem
perpetuam, c. 1. de sentent. excomm. in 6. sed dicitur
perpetua aptitudine, quia potest ferri, sine praefini-
tione certi temporis, & quia potest durare usque ad
mortem delinquentis, si ante illam non se corrigat,
Abb. in hoc c. in additione.

XII. Assertio 4. Tamen olim Clerici in sa-
cris constituti, si in vitium fornicationis aut inconti-
nentiae lapsi sint, deponebantur, c. Presbyter, c. 12. dist.
81. c. Sacerdotes, c. 37. dist. 50. c. de multis, c. 9. de etat. &
qual. &c. posteriore vero tempore, jubebantur tales
Clerici per suspensionis, aut interdicti, ac deinde
etiam excommunicationis, ac denique depositionis
sententias ab Episcopis suis coereeri, ut patet ex c. 2.
& alijs hoc tit. supra allatis. Nunc vero in Concilio
Tridentino: quod hodie observari debet. *Sess. 25. c. 14. de reform.* prohibetur imprimis, quibuscun-
que Clericis, ne concubinas, aut alias mulieres, de
quibus possit haberi suspicio, in domo, vel extra,
detinere, aut cum ijs ullam consuetudinem habere
audeant

audant: alioquin pœnis à SS. Canonibus vel Statutis Ecclesiarum impositis puniantur. Secundò, si à Superioribus moniti ab ijs se non abstinerint, tertiâ parte fructuum, obventionum ac proven-
tuum beneficiorum suorum quorumcunque, & pensionum, ipso facto sint privati, quæ Fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio loco, pro arbitrio Episcopi, applicentur. Tertiò, si verò in delicto eodem cum eadem vel alia femina perseverantes, neque secundæ monitioni paruerint, non tantum fructus omnes, ac proventus suorum beneficiorum eò ipso amittant, qui prædictis locis applicentur: sed etiam ad administrationem ipsorum beneficiorum suspendantur, quamdiu Ordinatio visum fuerit, aut ipse etiam, uti Sedis Apostolicæ delegatus arbitrabitur. Quartò, si ita suspensi nihilominus eas non expellant, aut cum eis versentur, tunc beneficijs ac portionibus, & officijs ac pensionibus Ecclesiasticis quibuscunque perpetuo priventur, atque inhabiles ac indigni quibuscunque honoribus, beneficijs, & officijs in posterum reddantur, donec post manifestam emendationem, eorum Superioribus, ex iusta causa, cum ijs visum fuerit dispensandum. Quintò, si postquam eas semel dimiserint, sed consortium semel dimissum repetere, aut alias huiusmodi scandalosas mulieres sibi adungere ausi fuerint, præter prædictas pœnas, etiam excommunicationis gladio plectantur. Nec per quamvis appellationem aut exemptionem prædicta executio impediatur, aut suspendatur, & cognitio de his, non ad Archiepiscopos, nec Decanos, aut alios inferiores, sed ad ipsos Episcopos pertineat, qui sine strepitu & figurâ iudicii, solâ facti veritate inspectâ, procedere possint. Alij verò Clerici, qui beneficia Ecclesiastica aut pensiones non habent, iuxta delicti qualitatem, & contumaciæ perseverantiam, pœnâ carceris, suspensione ab Ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, aliisque modis, juxta SS. Canones puniantur, propter dictum incontinentiæ crimen. Episcopi denique, si, quod absit, ad huiusmodi crimine non abstinerint, & à Synodo Provinciali admoniti, se non emendaverint, ipso facto sint suspensi: & si perseverant, ad S. Pontificem ab eadem Synodo deferantur, qui pro qualitate culpæ, etiam per privationem, si opus fuerit, in eos animadvertat.

XIII. Circa hoc novum Decretum Concilij Tridentini notandum primò. Clericis concubinariis dicitur, non solum ille, qui concubinam, domi suæ, instar uxoris continuò retinet, sed etiam qui extra domum alibi habet, & assiduam cum ea tenet consuetudinem, *Barboſ. in Collect. in c. Sicut 34. n. 3. l. r. & alij apud ipsum.*

Notandum secundò, hoc decretum non est
extendendum ad simplicem incontinentiam, absque
qualitate concubinatus, juxta declarationes Cardi-
natum Concil. apud Jo. Galleart. *ibid in princ.* quia
Concil. loquitur de eo Clerico, qui consuetudinem
habet cum muliere lasciva, quam non censetur habere,
qui cum aliqua semel tantum fornicatur, sed res-
tringitur, ut saltem bis id fecerit, & pœnæ sunt re-
stringendæ, quamvis contrarium teneat *Navarr.*
lib. 3. Consil. consil. 1. edit. 2.

Notandum tertio, sub tertiâ parte fructuum quorumcunque, quâ privantur ipso jure Clerici concubinarij, comprehenduntur etiam distributiones quotidianæ, ut docent plures, *apud Barb. c. l. n. §.*

Notandum quartò monitiones, quæ fieri debent, ad incurrendum & infligendum pœnas contra Clericos concubinatores latas, debent esse speciales in personam factæ, nec sufficit monitio generalis in Synodo facta, seti aliàs trina monitionis vim habeat, & trina monitiones requirantur, tam secundùm Juris communis dispositionem, quàm etiam Concilij Tridentini; idque procedit quoque in concubinario notorio, qui etiam, sine trina monitione prævia, beneficij privati non potest, prout plures docent, apud Barbof. l. c. n. 6.

§. III.

Quomodo procedendum sit contra Clericos, qui publicè concubinas habere dicuntur, sed citati & examinati negant, se concubinos esse?

XIV. De hoc agitur *in c. Tuos; 8. h. i.* nam cum ex Papâ Innocentio III. quaesitum fuisset, si Clerici, qui publicè concubinas habent, citari & examinari ab Episcopo suo, negent se esse concubinatores, quia nullus adest contra eos legitimus accusator, credendum sit testimonijs bonorum viro- rum, inter quos habitant? Ad hoc responderet Papa Innocentius III. si crimen illorum ita publicum sit, ut merito notorium censeri debeat, tunc nec testis, nec accusator esset necessarius, cum huiusmodi crimen nullâ possit tergiversatione seu ex- tustatione celari. Si vero crimen Clericorum pub- licum sit, non ex evidentia facti, sed ex fama, hoc casu, sola testimonijs bonorum viro- rum (inter quos Clerici illi habitant) non sufficiunt ad con- demnationem, cum non testimonijs (simpli- citer datis sine iuramento, *Gl. hic v. Testimonio*) sed testibus credendum, & ita iudicandum sit. Cæ- terum si de ipsius Clericis talis orta sit suspicio, ut ex ea scandalum generetur in populo, licet adversus eos nullus accusator compareat, purgatio tamen Canonica est esse indicenda, quam si præstare no- luerint, vel si in ea præstanda defecerint, tunc se- cundum Canones puniendi sunt.

XV. Pro explicatione hujus c. Notandum
primò, si crimen fornicationis ita sit publicum; ut
adsint valde propinqua & vehementia indicia, & con-
jectura criminis, ut si v. g. Clericus publice secum in
domo detineat suspectam mulierem, quam ut uxorem
tractet: maxime si publice alar filios ex ea susceptos
tunc etiam nullo existente accusatore, & sine testibus,
aliâ probatione, talis Clericus condemnari potest
& puniri. *Gl. hic V. ex evidentia* tunc enim nulli
tergiversationi est locus, *Gl. hic V. ex evidentia, &
Abb. n. 7.* Nam ut dicitur *in c. Super eo; 3. de testib.*
exigent. si factum est notorium, non eger testium pro-
bationibus, cum talia probationem vel ordinem ju-
diciarium non requirant. Quod si tamen tali casu
reus neget crimen esse notorium, testes producendi
sunt.

sunt, qui de notorio testificentur, nisi aperte frivola sit negatio, ut ex infra dicendis patebit.

Notandum secundò, si crimen Clerici, non ex evidentia facti, sed ex fama solum sit publicum, tunc probatio per testes est necessaria, ad condemnandum & puniendum reum, quia ut dicitur, in l. 3. §. idem D. Hadrianus ff. de testib. Testibus, non testimoniis credendum est, id est, non dictis eorum, qui deponunt sine juramento, vel eorum, qui deponunt de auditu alieno, vel non testimoniis extrajudicialibus in populo, quæ non sufficiunt ad probandum: sed ipsis testibus productis & legitime examinatis, & sub juramento deponentibus in iudicio, est credendum, Abb. hic n. 7. in fine: oritur tamen ex ejusmodi testimoniis seu dictis publica fama de crimine, Gl. hic V. Testimoniis, quæ etsi non sufficiat ad condemnandum reum, sufficit tamen, ut iudex inquirere possit de crimine, & multo magis, ut admittat accusatorem adversus Clericum ad querelam, & testes producendos, qui de ipso etiam crimine testentur.

Notandum tertio, si Clericus sit suspectus de crimine, quod tamen sufficere de illo probati non potest, tunc indicenda est ei Canonica purgatio, si quidem suspicio sit juncta cum scandalo populi, quia publice est infamatus de crimine, ut colligitur ex hoc c. & tradit Gl. in h. c. Idque etiam summitur, ex c. Presbyter 3. §. jurat. Gl. V. Injurandum caus. 2. q. 5.

§ IV.

An, & qualiter Sacerdos aut Clericus concubinarius seu fornicarius vitandus sit in Missis, & aliis Officiis Divinis?

XVI. Assertio. i. olim secundum antiquos Canones (c. Nullus 3. §. c. Præter hoc 6. dist. 32.) prohibitum fuit, ne quisquam Sacerdotis concubinarij vel fornicarij Missam audiat, si notorium sit, illum concubinam habere. Alibi verò dicitur (videlicet can. ult. caus. 1. §. q. ult.) non potest alius Sacerdos, quantumcunque pollutus fuerit, Divina pollueret Sacramenta, quæ purgatoria sunt cunctarum contagionum; ac proinde qualiscunque Sacerdos sit, non potest, quæ sancta sunt, coquinare; quia omnia in Christi fide, id est, per fidem Christi purgantur. Verum aliud est crimen concubinatûs vel fornicationis notorium, aliud occultum: notorium est, de quo Presbyter vel Clericus canonicè est condemnatus; occultum verò, quod ab Ecclesia toleratur. Si crimen concubinatûs sit notorium, quia illud Presbyter non negat, sed confitetur, vel quia de illo est canonicè condemnatus, tunc ab ejus Missis & Officiis Divinis vel fornicationis sit occultum; & ab Ecclesiâ toleretur, tunc talium concubinatorum vel fornicatorum Missæ licitè audiantur à fidelibus, & alia Sacramenta ab ijs percipiuntur, quamdiu ipsi ab Ecclesiâ tolerantur; & crimen operis evidentiam non habet: cum ipsa Mysteria seu Sacra-

menta ab ejusmodi concubinariis administrata, nequaquam tanquam immunda sint, aut minoris virtutis respici debeant. Ita rescripsit Papa Lucius III. in c. Vestra 7. h. 2.

Hinc colligitur, quod ex malitia Sacerdotis non polluitur, nec inquinatur Missæ sacrificium, quia virtutem & efficaciam habet ex opere operato, nempe consecratione Corporis & Sanguinis Christi, in quo essentialiter consistit oblatio, c. Præter hoc 72. dist. 2. de consecr. & patet ex Concilio Tridentino Sess. 22. de Sacrif. Missæ c. 1. ubi dicitur: Et hæc quidem illa munda oblatio est, Malach. 1. quæ nullâ indignitate, aut malitiâ offerentium inquinari potest, & tenent omnes Theologi. Unde cum dicitur, omnia oblata pollui, quæ offeruntur à polluto in anima, c. Sic populus 6. c. Multi 34. caus. 1. q. 1. id intelligendum est, quod quantum in se est, polluat Sacramenta, vel rectius, quod polluat semetipsû, Fagnan. in c. Vestra 7. n. 9. h. 1.

XVII. Assertio 2. Licet quilibet Clericus existens in peccato mortali sit suspensus, quoad se ipsum, non tamen est suspensus ob crimen Concubinatûs vel fornicationis, quantum ad alios, ac proinde fideles illum in Divinis officiis vitare non debent; nisi crimen ejus sit notorium per sententiam Judicis, vel per confessionem factam in iure seu iudicio, vel per evidentiam facti, seu rei, quæ nullâ tergiversatione celari possit, prout rescripsit Gregorius IX. in c. Questum 10. c. ult. h. 1.

XVIII. Pro utriusque hujus c. explicatione notandum primò, Sacerdos jure suspensus propter notoriam fornicationem, illico post penitentiam recuperat officij executionem, quoad alios; ita ut licet possint fideles audire ejus Missam, & ab eo percipere Sacramenta, ut colligitur ex cit. c. ult. in princ. ubi dicitur, quæsum est de Clericis in fornicationem prolapsis; an eorum officium; priusquam penituerint, sit audiendum? Ergo à contrario sensu, post actam penitentiam, cessat hæc pœna juris seu suspensio quoad alios, ita ut audiri possit eorum officium, c. Si quis 15. Gl. V. emendat dist. 8. Abb. hic n. 2.

Notandum secundò, quilibet Clericus, non solum propter fornicationem, sed etiam ob quodvis aliud peccatum mortale, est suspensus quoad se, ita ut non possit licitè in tali statu peccati mortalis Missam dicere, aut Sacramentum aliquod administrare, vel aliud alicujus Ordinis ministerium exercere, c. fin. de tempor. Ordin. Abb. hic n. 2. not. 3.

Notandum tertio, non quilibet notoriè criminofus est vitandus in Divinis Officiis, sed tantum notorius Concubinarius seu Fornicarius, qui est vitandus quoad se, & quoad alios, ut colligitur ex hoc c. ubi postquam generaliter dictum est, quemlibet Clericum existentem in peccato mortali esse suspensum quoad se, postea id ipsum, cum agitur de suspensione quoad alios, restringitur ad peccatum fornicationis, ut colligitur ex illis verbis: in casu proposito. c. V. hujusmodi, Gl. hic V. in casu proposito, scilicet fornicationis. Ubi ratione reddens ait; quia in hoc crimine magis est vitandus, cum in alijs ipso jure non sit suspensus, quamvis crimen sit notorium: excepto crimine Simonie, in quo suspensus est ipso jure, etiam si crimen sit occultum; in alijs ergo criminibus, notorius Clericus criminofus non est vitandus in Divinis, quamdiu ab Ecclesiâ toleratur, c. Præter hoc 6. §. Verum dist. 32. Abb. hic n. 3.

Notandum quartò, hæc suspensio notorij concubinarij, vel fornicatoris Clerici quoad se, non est censura Ecclesiastica propriè dicta, ob cuius violationem Clericus fiat irregularis, & quæ per Ecclesiastici Prælati relaxationem, vel absolutionem tolli debeat, sed ea per pœnitentiam aut confessionem Sacramentalem tollitur, ac proinde Clericus etiam in sacris constitutus non incurrit suspensionem propriè dictam, ob crimen concubinatûs etiam notorium, & consequenter celebrando, vel ministrando in tali suspensione nō fit irregularis, ut ex probabiliore sententia docet *Suar. dif. 3. de Censur. sect. 4. n. 9. & seqq.* quia talis irregularitas non reperitur in ullo Canone expressa, cum tamen iure Canonico tantum omnes irregularitates sicut inductæ, *Fagnan. in cit. c. ult. n. 24. h. t.*

XIX. Notandum quintò, hodierno iure, juxta Concilij Constantiensis Extravagantem, quæ incipit *Ad evitanda*, non tenentur fideles à Sacerdotis concubinarij vel fornicarij etiam notorij Missâ abstinere, eumque vitare in Divinis Officiis, etiam si verè esset suspensus, *Suar. c. l. n. 16.* & plures alij apud *Barbos. in Collect. in cit. c. ult. h. t. n. 3.* Secundum quam, nunc solum sunt vitandi excommunicati nominatim, ac publicè denunciati, & notorij percussores Clericorum. Quare cum suspensio, quoad se, non sit propriè dicta censura inducens irregularitatem; suspensio verò, quoad alios, per Constitutionem Extravag. sit sublata, hinc sequitur, quòd notorius concubinarijs celebrando non fiat irregularis, nisi monitus non desistat, & per sententiam Judicis fuerit ab officio suspensus.

Idque probatur etiam ex Concilio Tridentino *Sess. 25. c. 14. de reform.* ubi inter pœnas impositas Clericis concubinarijs, nulla fit mentio de suspensione ipso facto seu iure incurrendâ, sed præcipitur solum, ut puniantur ab Episcopo pœnâ suspensionis ab Ordine, ergo non sunt suspensi ipso iure, sive à Canone, *Fagnan. c. l. n. 29. & 30.*

Notandum sextò, possunt tamen fideles, etiam post Constantiensem Constitutionem, *Ad evitanda*; à notorio concubinario tolerato, & non vitando abstinere, si velint, & nolle ad ejus Missam audientiam venire; quia per prædictam Constitutionem nullus favor factus est ipsis excommunicatis, & idèd possunt fideles illos adhuc vitare, quamvis non teneantur, sicut secundum jura antiqua poterant, quæ quoad hoc revocata esse nusquam legitur, *Laym. lib. 1. tract. 5. p. 2. c. 4. n. 4.* & alij communiter.

Notandum septimò, tres sunt modi, per quos etiam crimen concubinatûs fieri potest notorium. Primò si delinquens sit condemnatus per sententiâ Judicis, definitivam scilicet. Secundò per confessionem Rei factam in judicio, Tertiò per evidentiâ facti, quod tergiversatione aliquâ celari non potest, *cit. c. ult. h. t.* ut si Clericus publicè concubinam habeat, sicut uxorem, alendo filios ex ea procreatos, ita ut sine tergiversatione crimen negari non possit, *cit. c. ult. de quo supra n. 15.* Prædictis autem tribus modis addi posset alius modus, per quem crimen fieri potest notorium, nempe per legitimam & juridicam probationem in judicio, contra quam nihil opponi potest; quia in causâ conclusum fuit: sed de hac nulla fit mentio, *in cit. c. ult. h. t. ut notat ibid. Abb. n. 4.* quia nimirum populus plerumque scire non potest, an probationes

fuerint plenè convincentes, idèdque ante Judicis sententiam non debet censeri crimen esse notorium, ex eo capite; quia aperiretur via injuriis & infamiae. Verum si publicè constet, quòd reus Clericus per legitimas probationes convictus sit in judicio, tum non minùs ex illis censeri debet induci notorium, quàm ex confessione judiciali, cum reus non minùs per legitimam probationem, quàm per propriam oris confessionem de crimine convinci possit.

§. V.

Proponuntur quæstiones quadam circa notorium, quid, & quotuplex sit, & an probari debeat?

Occasione eorum, quæ hic dicta sunt de Clericis concubinarijs, seu fornicatoribus notorijs, ad illa melius intelligenda, agunt hoc loco Canonistæ communiter de notorio generatim, quæ materia difficilis est, & alijs locis sæpius recurrit, etiam in Jure Canonico.

XX. Quæritur 1. quid & quotuplex sit notorium? Resp. Notorium in genere sic describitur apud *Fagnan. in c. Vestra; 7. n. 68. h. t.* notorium est jus vel factum transiens in notionem seu notitiam omnium, vel majoris partis eorum, nam per majorem partem totus populus repræsentatur, *l. quod major 19 ff. ad munic.* Est autem notorium triplex, ut tradit *Gl. in c. Vestra; 7. V. Notorium h. t.* nempe notorium juris, facti, & præsumptionis, & ex *Ant. Butrio tradit Fagn. c. l. n. 69.* licet *Abb. in cit. c. Vestra; n. 14.* dicat, sub notorio juris contineri etiam notorium præsumptionis, neque esse distinctam speciem, de quo infra.

Notorium juris dicitur, quod oritur ex ijs, quæ in judicio aguntur, idque triplex est, sive ex triplici capite oritur. Primò ex spontanea confessione facta in judicio, ut habetur *in cit. c. Vestra; junct. Gl. V. non diffierat, & c. ult. h. t. c. Cum olim; 24. de V. S.* quia confessus pro judicato habetur, *l. 1. ff. de confess. & l. unic. C. eodem.* Quòd si is, qui confessus est in judicio crimen, ante sententiam latam revocet confessionem suam, uti potest, ostendendo per errorem vel merum, vel similem causam se confessum esse, per quam debilitatur & dubia redditur talis confessio, juxta *l. error. 7. C. de jur. & fact. ignor. Gl. in c. Ex parte; 23. V. si verò dubia de V. S. & ibid. Abb. n. 7.* cum per talem confessionem judicialem, cum ejus fides vacillet, non inducitur notorium, *Mascard. Concl. 1106. n. 9.* Secundò, oritur notorium juris, ex probationibus & actis in judicio, quæ nimirum vel à Notario coram Judice in Protocollo relata, vel coram Judice legitime probata sunt, *cit. c. cum olim, & ibid. Abb. n. 3. Mascard. c. l. n. 13, & 17.* Sic per Testes legitime examinatos, item per Instrumentum authenticum in judicio productum inducitur notorium, & efficitur probatio probata, *l. ult. C. de probat. Masc. c. l. n. 18. & 19.* Verum cum dicitur, quòd probationes inducant notorium juris, id intelligendum est, posteaquàm in causâ conclusum est, seu probationibus & exceptionibus in utramque partem renunciatum fuit; ita ut nihil contra eas amplius opponi possit, ut docet *Abb. in cit. c. cum olim n. 3. & Masc. c. l. n. 24. & 25.* Tertiò, inducitur notorium juris per

condemnatoriam sententiam definitivam, ut constat ex cit. c. *Vestra*; & c. ult. h. t. Quæ non potest amplius retractari, nam res iudicata pro veritate habetur. l. 1. ff. de re iudic. Imò etiam per sententiam interlocutoriam inducitur notorium, si cum causa cognitione lata sit, & postquam transivit in rem iudicatam, adeoque indubitata definita, & plenè discussa est. *Masc. c. l. n. 31.*

Notorium facti in genere est, quod ita se exhibet conspectui populi, vel maioris ejus partis, ut nullà tergiversatione, vel negatione celari possit: sive quod ita clarum, & evidens est, ut celari minimè possit, quippe cujus universus populus, aut major ejus pars testis esse possit, ut tradit Menoch. de arbitr. indic. casu 166. *Masc. de probat. concl. 1105.* Clarus in pract. crim. §. fin. q. 2. n. 2. *Silvest. in summa V. Notorium q. 1.* Et hinc infertur, si publicè constat factum esse notorium, illud per negationem non reddi dubium, neque adversus illud negationem admittendam esse, arg. c. Super eo; 3. de testib. cogend. & docet Abb. in c. Tua nos; 8. num. 4. h. t. *Masc. c. l. n. 7.* Verùm, quia multa dicuntur, & videntur esse notoria, quæ tamen non sunt: ideò reus, v. g. notorius concubiniarius, negare potest delictum, de quo accusatur esse notorium: nam aliud est notoriè constare de delicto, aliud liquidè constare, delictum esse notorium: priore enim casu, si notoriè constet crimen esse commissum per facti evidentiam, vel per confessionem, aut legitimam probationem in Judicio, non opus est ulteriore probatione, quod crimen fuerit à reo commissum: posteriore verò casu, si reus neget delictum notorium esse, sive neget, esse notorium, quòd ipse crimen illud commiserit: tunc Judex ordinariè loquendo, priusquam contra reum tanquam notorium criminofum procedat, si neget, & ostendere velit notorium non esse, crimen à se commissum esse, audire eum debet: & tunc etiam contra reum negantem produci debent, ac recipi testes idonei, qui deponent esse notorium, sive liquidè constare, quòd Titius v. g. illud crimen commiserit: & tunc Judex juridicè declarare debet, crimen illud esse notorium: quo facto, absque alia probatione, aut processu, Judex progredi potest ad executionem, & punitionem Rei, juxta cit. c. Super eo; de testib. cogend. Et c. Tua nos; h. t. Quandoquidem inquisitiones, ac probationes fieri debent circa rem dubiam, non circa notorium, *Clar. c. l. n. 5. Masc. c. l. n. 10. & 12.*

Ubi præterea notandum, ad hoc, ut delictum alicujus notorium censeatur, non satis est, factum ipsum esse notorium secundum se, sive de eo publicè constare, v. g. quòd Titius occiderit Cajum: sed insuper requiritur, ut etiam notoria sint qualitates seu circumstantiæ ipsius facti, ita, ut ex ijs nulla defensio, aut excusatio culpæ competere possit reo, ut notat *Clarus c. l. n. 3. Masc. c. l. n. 9. Tuschus V. Notorium; concl. 111. n. 4.* v. g. Titius Cajum occidit in foro publico, præsentem populo, ita ut factum negati non possit: hoc casu, factum est quidem notorium secundum se, non tamen quoad omnes circumstantias, fieri enim potuit, quòd Titius Cajum occiderit, ob necessitatem sui defensionem, aut subito calore iracundiæ, vel quia mentis inops erat: vel quia Cajus aliàs impunè occidi potuisset, & ideò excusationem prætereundum potest, ita ut nullo modo, vel saltem mi-

nus graviter deliquerit, proinde etiam vel nullam poenam, vel minùs gravem meruerit.

XXI. Porro notorium facti est triplex, ut tradit Abb. in cit. c. *Vestra*; n. 15. h. t. *Silvest. c. l. q. 2.* Et alij communiter. Primum est facti permanentis, quòd se continuè exhibet hominum oculis, & notitiæ, ita ut illud videre possint, quando volunt, v. g. palatium in foro. Et hoc notorium non eget probatione, cum per se ipsum demonstratur, & nullà possit tergiversatione celari, vel negari, neque in dubium venire, aut vocari: ideòque etiam contra sententiam latam, & rem iudicatam, & quamcunque contrariam præsumptionem Juris, & de Jure admittitur; quia probatio, seu ostensio, quæ fit per facti evidentiam, nunquam exclusa censetur, etsi omnes aliæ exclusæ sint, *Masc. Concl. 1107. nu. 4. & 7. Menoch. lib. 1. de præsumpt. q. 67. n. 2. & 3.* Licet autem notorium facti permanentis probari non debeat, debet tamen allegari à parte, ut tradit, *Gl. communiter recepta in Clem. appellanti §. V. Alias causas; de appellat. Menoch. c. l. n. 5.* Nam Judex ea, quæ in facto quamvis notorio consistunt, non supplet ex officio, nisi ex actibus resultent, v. g. nisi nota sit, ut Judici, contumacia rei absentis; quia eum peremptoriè citaverat, ut explicat *Tusch. concl. 108. n. 2. & 3. Masc. conclus. 1108. n. 5.* Exemplum facti notorii permanentis est, si Clericus in carcerem patentem oculis hominum detrudatur, vel si domi suæ detineat concubinam publicè, & omnibus scientibus, *Fagnan. in cit. c. Vestra; n. 79. & 80. h. t.*

Secundum notorium facti est transeuntis, si quis v. g. in conspectu populi sit occisus: tale notorium est etiam vox præconis, quæ citò transit; & paucis innotescit, videlicet audientibus tantum, & quibus hi dixerunt. Edictum verò in publico foro propositum, & affixum per plures continuos dies omnibus liquet, ut notat *Gl. in Auth. qui semel V. Paucis; innotescit. c. Quomodo & quando Judex & c.* Et ad hoc notorium facti transeuntis requiritur etiam, ut probetur plenè per testes, cum istud notorium jam non sit, sed fuerit, *Abb. in cit. c. Vestra; n. 19. h. t. Masc. cit. concl. 1107. n. 7. Menoch. c. l. n. 3.* ideòque ejus probatio contra rem iudicatam, & præsumptionem juris, & de jure non admittitur.

Tertium est notorium facti interpolati, quod fit publicè quidem, ita ut aliquà tergiversatione celari non possit, non tamen sit continuè, sed sæpius per intervalla iteratur. Sic dicitur aliquis usurarius notorius, vel meretrix notoria, non, quòd ille continuè mutuetur cum usura, vel illa continuè peccet, sed quia usurarius semper est paratus ad mutuum sub usuris, & meretrix ad peccandum, quoties ab illo, vel ab illa petitur, *Abb. c. l. n. 15.* Et ad hoc notorium, quod veluti medio modo se habet inter notorium facti permanentis, & transeuntis, aliquoties etiam probatio requiritur, sed non tam exacta, ac plena, sicut ad notorium facti transeuntis, secundum *Gl. in c. Cum in Diocesi; V. Manifestos de usuris, Abb. in cit. c. Vestra; n. 19. h. t.*

Denique notorium præsumptionis est, quando ex publicis circumstantiis jus vehementer aliquid præsumit, & pro veritate habendum iudicat ita, ut ex tali præsumptione ferri possit sententia definitiva, adeòque æquivalcat plenæ probationi. Sic jus vehemen-

menter præsumit eum esse filium alicujus, qui publicè habitus est pro filio, *Abb. c. l. n. 14.* Sic si quis publicè detineat feminam suspectam in domo, à jure præsumitur fornicatio, *Fagnan. c. l. n. 85. § 2. seqq.* Ubi addit, ad inducendum notorium præsumptionis, præter violentam præsumptionem, requiritur factum, ex quo oritur præsumptio, sit notorium facti vel juris.

XXII. Quæritur 2. Quid sit occultum, prout notorio facti opponitur! R. Occultum v. g. crimen in primis dicitur, quod à nemine alio scitur, & nullà ratione probari potest in judicio: cui æquiparari debet, quod scitur ex sola Sacramentali confessione; quia perinde est, ac si non sciat, cum alijs revelari non possit *Suar. tom. 4. de relig. lib. 6. de profesc. 10. n. 19.* Secundo. Quod aliquis scit acceptum sub secreto naturali; quia nimirum expressè, vel tacitè promissit, se id non revelaturum: tunc enim quod ita secretò scitur, non potest revelari, nisi id necessarium sit ad averrendum grave damnum injustè inferendum Reipubl. seu Communitati, vel privatæ personæ, sive propriæ, sive alterius tertij, sive etiam ipsius revelantis, *Laym. lib. 3. tr. 3. p. 2. c. 15.* & alij apud ipsum. Hujus occulti, seu secreti, species quædam est, si quis commissum occultum crimen amico, aut alteri viro prudenti, consilij capiendi causâ revelavit, is enim ad illud non revelandum, tam graviter & strictè obligatur, ut ordinariè loquendo, non nisi in gravissimum damnum Communitatis concessum sit, illud revelare, *Suar. c. l. n. 29.* Quia alioqui miseris, & afflictis hominibus maximum remedium salutis suæ, cum magno etiam ipsius Reipubl. detrimento, adimitur, si viro prudenti arcana sua, consilij capiendi

causâ, sincerè, & sine nocendi proposito, tutò credetè non possint. Tertio. Quod uni soli, extra secreti obligationem, cognitum est, si neque id indicij ostendi possit, censetur simpliciter occultum, ita ut revelare aut denunciare Superiori, non liceat. Quarto. Quod per unum tantum testem, præter ipsum denunciantem, vel alijs indicijs, semiplenè tantum probari potest, censetur simpliciter occultum Quintò. Dicitur occultum, quod publicè v. g. tribus 4. vel 5. testibus notum est, ita ut coram Judice probari possit, licet publicè notorium non sit, nec censetur, *Suar. cit. c. 10. n. 19.* Porro prædictis omnibus factis occultis opponitur publicè notorium facti, sive sciatur à majore parte populi, seu Communitatis, quæ saltem 10. personas habeat, quot censentur facere plebem: sive non à majore parte, tamen à tot personis Communitatis, ut impossibile sit, moraliter loquendo, celari aut occultari, quod minùs paulatim deveniat ad aliorum plurium noticiam, *Abb. in cit. c. Vestra 37. n. 16. h. t.* Ubi ait, quod Judex, seu vir prudens ex varijs circumstantijs loci, temporis, personarum, & qualitate actûs arbitrari debeat, num factum v. g. crimen notorium sit, nec nè?

XXIII. Quæritur tertio, quot testes requirantur ad probandum notorium? Resp. Sufficere duos vel tres testes, licet enim non sufficiant duo testes ad inducendum notorium, sufficiunt tamen, ad illud probandum; quia in ore duorum vel trium testium stat omne verbum; sicut etiam ad infamandum aliquem, non sufficiunt duo vel tres, *c. Inquisitionis; 21. de accus.* sufficiunt tamen ad probandam infamiam. *Abb. in cit. c. Vestra 37. n. 17. h. t.*

TITVLVS III.

DE CLERICIS CON- JUGATIS.

Postquàm actum est, præcedente Titulo, de illicita cohabitatione Clericorum cum mulieribus: nunc agitur de licita, videlicet an, & quâ ratione permissum sit Clericis ducere uxores, iisque cohabitare. Extat hic Titulus etiam in Sexto.

§. I.

An Clerici coniugati ad Ordines, vel beneficia Ecclesiastica promoveri possint?

I.

Asertio 1. Clerici coniugati ad sacros Ordines, & ad Ecclesiastica beneficia, aut Administrationes non debent admitti; præterquàm si quis perpetuam continentiam voverit, & unicam, eamque Virginem (ab alio non corruptam) uxorem duxerit, prout statuit Alexander III. *in c. Sanè; 2. h. t. & ibi Gl. V. Virginem.* Ratio decisionis est, quia cum Clerici obire debeant officia, & ministeria sacra & Divina, quorum pleræque sacros Ordines requirunt, vel saltem propositum illos aliquando fulci-

piendi: idèd non est conveniens, ut Conjugati promoveantur ad sacros Ordines, quibus annexum est votum continentie, quod est incompatible cum statu conjugali, neque ad Ecclesiastica beneficia admittendi sunt; quia beneficium datur propter officium, officia autem Divina pleræque continentiam requirunt. Excipitur, nisi talis Clericus coniugatus perpetuam continentiam voverit, cum consensu uxoris, tunc enim cessat ratio, ob quam status Conjugalis repugnat statui Clericali: quo casu, tamen insuper requiritur, ut uxor, si in sæculo manere velit, votum quoque perpetuæ continentie edat, & eâ tate sit, ut extra periculum incontinentie esse videatur, alioquin verò si juvenis sit, Religionem ingrediatur, juxta *c. Conjugatus; 5. de convers. Conjug. junct. Gl. V. ab uxore,* & habetur etiam in Concilio Agathensi relato *in c. Episcopus; 6. & ibi Gl. V. religione dist. 77. Sanch. lib. 7. de Matr. dist. 42. n. 16. de quo plura infra tit. 32.*

II. Ubi